

quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat. Nihil in hoc mundo amando possideat, nullas rerum labentium delectationes requirat, etc.» Hæc Gregorius.

Tenebitur ergo in purgatorio, qui non abjecerit affectus inordinatos erga bona caduca: *Nudus egressus sum de utero matris*, ait Job, *nudus revertar illuc*. Sed difficile est in morte exuere, quæ viventibus fortiter adhæserunt. Idcirco sicuti convenit rebus hujus mundi, quasi alienæ sint et mutuo acceptæ; tales enim puram amamus et facile restituimus. Hinc non erit, quod nobis in purgatorio abstrahatur: *Nudus enim latrones non timet*, dicebat ad fures S. Hilarion, apud S. Hieronymum, in vita.

III. Frequentia sacramenta pœnitentiæ et eucharistiæ. His enim expellitur materia purgatorii. Quemadmodum, qui intemperanter vivunt, si non utantur quotannis semel aut iterum purgatione et venisectione necnon menstruatim sacrificatiõe, sed ea nimirum differant, tantum sibi mali humoris accumulunt, ut tandem in morbum et quidem periculosum aut diuturnum incidat. Ita qui nimium differunt raroque adhibent s. confessionem et communionem, certum sibi ac diuturnum causant purgatorium. Contra uti sedula sanguinis minutione vel purgatione morbi imminentes arcentur si non omnino, saltem magna ex parte, et diuturni: ita purgatorium cavetur, vel saltem mitius obtinetur, cum per præviam sacramentorum frequentationem materia illi subtrahitur.

IV. Extremam unctionem accipe ante mortem. Ea siquidem reliquias peccatorum tollit, et pœnas juxta recipientis dispositionem, quæ tanta esse potest, ut omnes omnino tollat, adeoque absque purgatorio de morte ad vitam transeas. Sed hæc de re alibi.

V. Satisfactiones tibi a confessario impositas sedulo ac rigide peragito; et præterea ultroneas tibi imposito. Nam quod attinet ad primas, cum eæ sint pars sacramenti, majorem vim ad tollendas pœnas habent, quam quæ ultro assumuntur. Unde optandum tibi esset, ut severius tecum agat confessarius.

Scimus enim Levit. VI. legem holocausti fuisse, ut cremaretur in altari tota nocte usque mane a sacerdote paramentis sacerdotalibus induto.

Quod si vero usque mane non omnia penitus combusta fuissent, reliquias extra castra efferi et iterum comburi usque ad favillam debuisse; ita tamen ut sacerdos prius deponeret vestes sacras, et indueret suas vulgares.

Eundem in modum pœnæ, quæ in hac mundi nocte usque ad illud mane vitæ futuræ non satis exsolvantur per injunctas pœnitentias, afferuntur ad purgatorium, ut tibi redigantur in favillam, id est, solvantur usque ultimum quadrantem: ubi non jam a sacerdote nec ab igne sacro, sed a tortoribus et igne sævissimo comburentur.

Quod vero ad voluntarias afflictiones pertinet, si in nos rigidi et severi simus, procul dubio purgatorium habebimus propitium, aut etiam nullum. Videtur hoc nobis suasisse Dominus, quando Luc. XII. dixit: *Cum vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem*. Quo loco Sanctus Ambrosius ait: *Adversarius noster est omnis virtutis usus et apostolicus et propheticus sermo, qui nos ad asperiora præcepta et durioris vitæ documenta constringit*.

Hinc ergo consentiendum est, id est, agendum quod S. Joannes Baptista prædicavit: *Agite fructus dignos pœnitentiæ*; sic enim: *Fugimus a ventura ira, uti ipse dixit, Luc. III.*

VI. Lucrare indulgentias, et solve ex ærario Christi, quod ex tuo non potes. Non deest tibi occasio, modo tibi metipsi non desis. Quis autem quæso, audiens divitem sibi dicentem: *Mitte manum in hunc thesaurum meum, et quidquid manu comprehenderit, illud tuum esto, quis inquam facere hoc negligeret?* Atqui istud tibi dicitur, cum indulgentia offertur. Sed hæc de re dictum alibi.

VII. Purgatorium hic expete, et cum tibi obtulerit, alaeri animo ferto. Petiit hoc Job c. XIV. cum ait: *Tu quidem gressus meos dinumerasti: sed parce peccatis meis*. Pro quibus ultimis verbis alia littera legit: *Ne differas pœnas meas*: quasi hoc sit parcere, punire in hoc sæculo, et non differre pœnas ad purgatorium. Certe nostri mercatores viliori pretio dant merces pro pecunia parata quam pro expectanda. Pari ratione credidit S. Job remissurum aliquid Deum de pœnis debitis, si quis in præsentis sæculo se offerat ad solvendum. Quod autem in præsentis sæculo exsolvi possit purgatorium, patet exemplo Maurilii imperatoris, cui a Deo optio facta est, ut peccata sua lueret vel in hoc, vel in illo sæculo; qui præsens elegit tempus. Item testimonii S. Bernardi, qui aliquando videns in agro fratrem conversum studiosè et ultra vires metere, dixit ei coram omnibus: *Eia frater age quod agis, nullum aliud post hanc vitam purgatorium sustinebis*, Thom. Cantiprat. lib. II. apum, cap. V.

VIII. Mortem vicinam libenter amplectere et offer Deo vitam tuam. Cum enim nihil præstan-

tius habeas vita tua, non dubium, quin hoc minus Deus acceptum habeat, et magna gratia remuneretur. Fecit hoc S. David, qui Psal. CXV. ait: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam* (id est, passionem et mortem libentissime amplectar.) Jam vero scimus calicem martyrii, qui in testimonium fidei ebibitur, esse tam salutarem, ut omnem extinguat purgatorii ignem et immediate celo transcribat ebibentem. Quid; si igitur tu eundem ita bibas, ut mori optes ac velis hilariter, in testimonium obedientiæ christianæ quam commendavit nobis Dominus, Luc. XIV. dicens: *Si quis venit ad me, et non odit animam suam, non potest meus esse discipulus*. Annon item aliquam purgatorii remissionem poteris sperare? Cum enim timor et horror mortis sit naturalis, si tu eum ex motivo charitatis vel obedientiæ temperes aut vincas, certe heroicum designas actum magna remuneratione dignum. Accedit quod etiam Dominus beatos dixit esse servos illos, qui cum venerit Dominus eorum et pulsaverit, confestim aperiunt ei, Luc. XII. *Pulsat vero Dominus*, inquit S. Greg. hom. XIII. in evangelia: « Cum jam per ægritudinis molestias esse mortem vicinam designat: cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Unde protinus addit: *Beati sunt servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes*. »

IX. Ora diligenter, ut ab eo immunis sis: est enim oratio medium universale ad omnia impetranda, adeoque clavis omnes januas aperiens: ac proinde etiam cœli januam. S. Franciscus cum aliquando candente ferro causa recuperandæ valetudinis urendus esset, ferrum allocutus: *Mi frater ignis*, inquit, *esto mihi in hac hora propitius. Precor Dominum qui te creavit, ut tuum mihi calorum temperet*. Et simul signum crucis versus eum fecit. Unde factum, ut cum candens ferrum ustioni adhiberetur, vir sanctus nullum, uti retulit, senserit dolorem, ut in ejus vita. Similiter de S. Luca canit et orat Ecclesia in persona ejus: *Rogavi Dominum meum Jesum Christum, ut ignis iste non dominetur mei, et impetravi a Domino inducias martyrii mei*.

Itaque ignis circum eum accensus, nihil ei nocuit ut in ejus vita. Eodem medio S. Catharina rotatam et falcata machinam, qua erat dilaceranda. Videte igitur quid possit oratio. Non est autem nobis vita hæc ablata sed omnibus est dictum: *Quidquid orantes petieritis fiet vobis*.

X. Succurre libenter animabus in purgatorio constitutis. Rependent enim tibi vicem suis apud Deum precibus, in celo constitutæ, cum tibi aliquando purgatorium imminebit. Cum enim ex

maximis eripiantur ærumnis, quomodo ingratus esse poterunt, et non parem gratiam referent? Scimus etiam brutis gratitudinem esse insitam: et animabus illis deerit? Aquilam aliquando cum juxta fontem a serpente circumplicata teneretur, et a messore, eo aquæ hauriendæ gratia accedente, liberata esset, gratiam liberatori rependisse scribit Ælianus, l. XVII. cap. XXXVII. nam cum is aquam sociis tulisset, ipsique omnes bibissent; tandem cum et ipse qui tulerat, bibere vellet, adfuit eadem illa aquila et vasculum ab ore ejus excussit ac fregit; et hoc gratitudinis ergo: mox enim cæteri qui biberant, palpitare et animam agere cœperunt, quod potus ille veneno serpentis infectus fuisset. Bonæ illæ animæ instar aquilæ desiderant volare ad conspectum Dei, sed detinentur ab igne purgatorii. Quod si igitur quis piam eas inde eripiat, certo rependent ei gratiam et amarum purgatorii calicem ab ore ejus excutient, suis apud Deum precibus. Extat in libro de viris illustribus ordinis Cisterc. historia de Britanno quodam, qui quoties transibat per cœmeterium, aliquam pro defunctis orationem fundebat. Unde eo mortuo visi sunt defuncti sepulti in illo cœmeterio surgere, et in templo pro eodem suo benefactore exsequias decantare. Ad hæc plura referuntur exempla, quæ ostendunt eos, qui pro defunctis orare omiserunt, diu in purgatorio detentos fuisse. Quod utique factum non esset, si defunctorum in suis precibus sedulo meminissent.

CONCIO VIII.

MEDITATIO MORTIS QUAM UTILIS.

I. Libenter mori. — II. Facit bene mori. — III. Temperat voluptates malas. — IV. Excludit sollicitudines. — V. Facit semper esse pavidum. — VI. Protegit a diabolo et munit. — VII. Parit gaudium et solatium.

THEMA.

Venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent. Joan. V.

Verissimum quidem est verbum veritatis quod mortui in novissimo die audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent. Sed non omnes mortui libenter eam audient, quia ad beatam vitam non resurgent omnes: *Omnes quidem resurgemus*, ait apost. in hodierna epistola, I. Cor. XV. *sed non omnes immutabimur*, per gloriam videlicet: et Christus in hoc ipso evangelio: *Procedent qui bo-*

na fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.

Vultis auditores, hilariter aliquando audire eam vocem? Curate ut nunc in auribus vestris vox illa semper resonet, quemadmodum et sonuit in auribus S. Hieronymi, qui et hoc consilium tradidisse fertur: *Sive bibas, sive comedas, sive vigiles, sive dormias, hæc tibi tuba insonet: Surgite mortui, venite ad iudicium.* Hoc monet nos Ecclesia, dum hodie multis modis memoriam mortis nobis insinuat. Hoc idem indicare videtur Christus in sententia prædicta. Nunc enim audiunt vocem Filii Dei vocantis ad iudicium, qui novissimam illam tubam sedula cogitatione ruminant. Atque hi procul dubio, qui audierint vivent, vita scilicet beata. Quare nunc audiamus quanti huius exercitii fructus sint.

I. Facit libenter et facile mori. Quemadmodum enim equus in hippodromo, in quo ad statuum punctum feriendam curritur, docetur non horre-re; dum prius sæpe sæpius ducitur per stadium, quod ei percurrendum est; alioquin (nisi id fieret) ad conspectum statuæ forsant trepidaturus et sessorem ejecturus; ita in proposito. Via mortis nobis percurrenda est, ubi tristis et monstruosa nobis occurret mortis imago: hic attendendum, ut bene curramus, quo scopum salutis attingamus. Sed quid si tunc horreat equus noster? Quid si timore mortis perplexi, de statu mentis deiciamur, et nobis consulere præ horrore nesciamus? Quid si in desperationem, diffidentiam, impatientiam aut impenitentiam deiciamur? Certe multis id contingit, qui mortem non præviderunt. Itaque priusquam nobis currendum, percurramus hoc stadium sæpius, contemplemur bene statuam illam mortis: sic fiet ut non trepidemus, et ad salutis scopum rectius collimemus, cum aliquando currendum erit. Exemplum refert Palladius de sancto quodam eremita, qui morti proximus hilari et tranquillo erat animo, lugentibus interim et trepidantibus ejus discipulis; a quibus interrogatus: *Tu pateris, et nihil sentis? Nos compatimur, et ploramus,* respondet: *Tranquillus nunc sum, quoniam sæpe consideratione hanc viam perambulavi, sæpe mortuus sum et ideo nihil novi nunc video.*

II. Facit bene mori, quia et bene vivere. Nam uti nauta, si bene vult navigare, in puppi, non in prora stat aut sedet; ita qui vult secure navigare, ad terram viventium insistat meditationi novissimorum, non attendat juventutem suam, vel quot annos adhuc vivere possit. In puppi stat, qui quotidie mortem timet, in prora qui non timet sed adhuc multos sibi pollicetur dies. Qui in puppi stat bene et secure navigat, quia

totam navem videt; sed non ita, qui in prora. ita qui mortem semper observat, nunquam illi fident, sed totam suam vitam contra illam munit, et a scopulis abducit, juxta id Sapientis: *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis,* non ita qui mortis immemor longam vitam sperat.

Prudenter ille ædificat qui antequam fundamentum jaciatur, sedens prius cogitat, de recto seu perfectione et ultima manu ædificio imponenda: ne alioquin juxta Domini sententiam: *Homines incipiant illudere ei dicentes: Hic homo cepit ædificare et non potuit consummare.* Ita prudenter agit, qui novissima facit prima, primo nimirum omnium de morte cogitans, ne extrema gaudii luctus occupet. Gorgias Epirota, pro cuius sortitus est sarcophagum matris suæ, quia dum efferretur ad rogam mater, ex utero ejus elaspus vagitu se prodens gestatores sistere coegit, ut scribit Valer. lib. I. cap. VIII. Felix qui in sarcophago nascitur, qui quodammodo a cunabulis fertur ad sepulcrum assidua mortis meditatione, ut cum S. Job dicam, de utero transfertur ad tumulum.

III. Extinguit aut saltem temperat noxias voluptates et concupiscentias, quod vel ab Ægyptiis discere possumus. Proponerent illi in conviviis fictum ligneum cadaver, sed quam proxime ad verum effectum: in singulis ostendebat quispiam dicens: *In hunc intuens pota, et oblecta te, talis post mortem futurus,* Herodot. lib. III. Nimirum temperandas volebant delicias memoria conditionis nostræ.

Quis enim mortem præ oculis videns deliciis indulgere queat? De Francisco Borgia soc. Jesu scribit Ribad. lib. I. de ejus vita, cap. IX. quod cum appulisset cum corpore defunctæ imperatricis Elisabethæ Granatam et aperiretur tumba, cui inclusum erat, plumbea, faciesque Augustæ usque adeo exesa et deformata, ut intuentibus magnum sui horrorem inculceret, detegeretur, tantum Francisco sensum impresserat, ut firmissimum hoc decretum mox conceperit: *Promitto tibi Domine Deus meus, non servitutum me amplius tali domino, qui sic possit mori;* atque ita sæculo renuntiavit, dicereque solebat, mortem Augustæ sibi vitam attulisse. Sancta Elisabetha Hungariæ regis, filia cum audisset maritum esse defunctum, dixit: *Si mortem frater meus obiit, et mihi posthac mundo ejusque vanitatibus defunctæ morietur mundus ipse.*

Itaque vitam priore longe adhuc perfectiorem cepit, ut in ejus vita. Hinc David, Psal. LIV. desperatis peccatoribus optat: *Veniat mors super illos et descendant in infernum viventes,* quasi diceret: *Meditentur et considerent mortem ac mor-*

tuos dum vivunt, quo vel sic emendentur. S. Augustinus, serm. XLVIII. ad fratres in eremo, scribit se vidisse Romani cujusdam imperatoris corpus in sepulcro conditum, colore livido, putredine circumdatum, ventrem ejus disruptum et vermium catervas per illum transeuntes, quorum duo famelici in oculorum foveis pascebantur: crines non adhærebant capiti, dentes apparebant labiis consumptis et revelatum erat narium fundamentum.

Cujus occasione exclamat Augustinus: « Euntes vos juvenes et potentes ad sepulcra patrum vestrorum, considerate, qui fuerunt et qui sunt; monumenta eorum aperiamus et videamus, quis dominus, quis servus, quis pulcher, quis tarpis, quis rectus, quis curvus inter eos fuerit. Aperiamus oculos mentis et corporis, et nostram grandem miseriam frequenter non pigeat considerare. Intremus sepulcra et quid inveniemus discamus. Quid fratres inveniemus, vel quæ? Nam si respexerimus inveniemus mortuorum capita, renes, ventrem. Verum et indubitanter rerum mihi experto credite, quod in capitibus invenietis bufones saltantes, generatos ex cerebro, in renibus serpentes ex illis generatos, in lumbis ambulantes, in ventre vermes scaturientes generatos ex visceribus. Ecce quid simus et quid jam erimus; ecce in quod resolvimur. Quid ergo instaris, o dives? Cur non attendis, quæ audis? Cur turbaris cum prospicis? Cur non converteris, hæc cum quotidie experiris? »

IV. Excludit curas et sollicitudines terrenas. Qui enim mortem serio expendit, nihil aliud curat, nisi quomodo ad felicem perveniat mortem: cætera susque deque habet. Si quem leo aut monoceros insequeretur, non curaret is, si pallium aut marsupium post se in fuga relinqueret; solummodo attenderet quomodo vitam tueretur.

Atqui mortem ejusmodi monocerotem nos insequentem esse docet Barlam apud Damasc. Hoc docere volens Deus præcepit, Levit. I. ut in oblationibus virum vesicula gutturis et pennæ projicerentur in locum, in quo effundi solent cineres. Nimirum sollicitudines terrenæ, de corpore alendo et vestiendo projiciendæ sunt in sepulcrum per mortis cogitationem, quomodo bene mori velimus: et tunc de pane et veste ac similibus parum solliciti erimus. Quis enim prudens saginare aut adornare laboret corpus, quod vermium præda erit, fortes cras aut hodie? Recte faciunt ii qui cum mors jam eos per aliquam ægritudinem aliudve mortis periculum, quasi per tunicam incipit apprehendere, seponunt omnes sæculi curas et de sola æternitate et animæ suæ

salute cogitant, juxta monitum Salvatoris, Matth. XXIV. *Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua: et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam* (cum nimirum incipit circumdari a morbo), longe tamen rectius facit, qui hoc tota vita facit, etiam cum mors longe est.

V. Parit salutarem sollicitudinem et facit semper esse pavidum. Quemadmodum enim clamor nocturnus excitavit virgines illas, ut surgerent et ornarent lampades suas sponsoque obviam irent: ita timor mortis quasi mox imminetis, excitat hominem, ut saluti suæ invigilet, et bona opera paret ad obviandum Christo. Experientia compertum est, quam excitentur homines ad pœnitentiam, pietatem et disciplinam, cum grassatur inter eos pestis, vel imminet naufragium, etc. Ergo si quis cogitet ejusmodi pericula quotidie sibi imminere, semper bene vivet. Excitavit sæpius e somno hæc memoria Davidem, et fecit esse attentum ad conscientiam expurgandam. Sic enim loquitur, Psal. LXXVI. *Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum et non sum locutus: cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui,* quasi diceret: Cogitavi annos præteritos et quid de antiquis patribus factum sit, quomodo omnes extincti et oblivioni traditi sint; cogitavi etiam annos æternos, id est, futuros, quid de me aliquando futurum sit. Hinc ergo: *Exercitabar et scopebam spiritum meum,* etc.

VI. Protegit a diaboli insidiis et munit contra tentationes. Perdicem scribit Plinius, lib. X. cap. XXXIII. in pavore supinam in sulco gleba terræ pedibus apprehensa se operire. Hunc in modum si cui infernalis insidiatur auceps, is quam primum se in considerationem mortalitatis suæ abjiciat, atque ita sepulcrali quodammodo gleba se operiat, sicque insidias et quascumque tentationis facile superabit. In hanc veluti domum suam recipiebat se Job, qui dixit: *Infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulum meum.* In sepulcro igitur velut in castello habitabat, et inde contra dæmonem strenue pugnabat. Nullibi tutiores erimus ab insidiis diaboli, quam si mortalitatem nostram cogitemus, sepulcro nos includamus, et consideremus nos jam mortuos deferri ad sepulcrum omnibus dimissis, et ibi in arctas recludi tenebras omnibus discedentibus et relinqui in pabulum vermibus. Auctor est Ruffinus, in vita ss. patrum, Divum Macarium Alexandrinum mortis assidua meditatione adeo profecisse ut nihili prorsus faceret dæmonis terrores et infestationes. Nam cum quidam vice a nocte in deserto oppressus alio divertere non posset, in sepulcrum se abdidit, ubi meditationi mortis impiensissime vacans ac somnum capiens,

mox strepitum et collisionem ossium a diabolo excitari sensit, quantam nemo alius perferre potuisse videbatur; at mansit ille tamen, neque ullo modo hospitio se expelli ferens, fortissimus athleta tres formidandos hostes, mortem, diabolum noctemque contempsit. Hoc igitur nos auditores castellum ingrediamur, si contra demonem prevalere et tuti esse volumus.

VII. Denique, parit gaudium et consolationem spiritus quæ ex illo timore bono nascitur. Quemadmodum enim is, qui sua sollicitè conservare studet, fruitur interim gaudio, quia novit ea sibi reposita esse ad fovendam senectutem, eoque perfruetur magis, cum advenerit senectus: ita qui mortem semper timet et idcirco sollicitè cum Deo ambulat, suavem et beatam mortem sperat, eaque adventante magis recreabitur. Volumus ergo suaviter et hilariter mori, moriamur in vita sæpius. Pueri qui per æstatem natalu delectantur, prima vice ex ponte in profluentem ægre et cum timore desiliunt. Sed ubi id sæpius attentarint adeoque assueverint, magna postmodum delectatione et securitate faciunt. Quando ergo scimus desiliendum nobis aliquando de vita in sepulcrum, saltem modo frequenter mente et cogitatione, et tunc facile et cum gaudio saltum illum faciemus.

CONCIO IX.

RESURRECTIO MORTUORUM OSTENDITUR.

I. Ex naturali propensione. — II. Ex cooperatione corporis cum anima. — III. Ex resurrectione Christi. — IV. Ex naturalibus exemplis. — V. Ex miraculis.

THEMA.

Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. Joan. V.

Magnum fidei mysterium tradit nobis apostolus in epistola hodierna et Christus in evangelio, certissimam videlicet mortuorum resurrectionem. Apostolus ait: *Mysterium vobis dico: Omnes resurgetis, etc.* I. Cor. XXV. Christus ait: *Mortui audient vocem Filii Dei et qui audierint, vivent.* In qua fidei doctrina fundatur sane religio christiana. Nam, ut ait ibidem apostolus: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiles sumus omnibus hominibus.* Frustra enim affligimus nos operibus pœnitentiæ, frustra nos abdicamus mundi et carnis voluptatibus. Unde

bene dixit Tertullianus, libro de resurrectione: *Spes Christianorum est resurrectio mortuorum.*

Quia vero hæc doctrina, tametsi in sacris litteris expressa, difficilis videtur aliquibus, conabimur eam pluribus fide digniore reddere; adeoque fundamentum hoc religionis nostræ stabilire.

I. Ostenditur ex naturali propensione animæ ad suum corpus, sine quo nisi violenter et præter naturam esse non potest, cum natura sua forma sit corporis. Ideo apostolus credidit probatam fore resurrectionem mortuorum, si probasset animæ immortalitatem, I. Corinth. XV. eo quod nemo prudens, etiam gentilis, credere potperit, animam quidem immortalem esse, sine corpore tamen duraturam in æternum; proinde si quis negasset resurrectionem, negasset etiam animæ immortalitatem. Unde resurrectio quoad substantiam et humanæ naturæ exigentiam quasi naturalis est, licet in modo et executione sit supernaturalis: nec enim vi creata corpori uniri potest anima separata. Quis autem dubitabit, modum illum et executionem Deo possibilem esse? Quid enim, quæso difficilius, hominem non existentem efformare, an fractum reparare? Nonne illud prius? Nonne figulus ex una eademque massa aliam et aliam format figuram? Et non poterit Deus eandem argillam eodem suo spiraculo, quo Adamo vitam indidit, erigere ad vitam? Audi Sanctum Gregorium, hom. XXVI. in evangelia: *Longe minus est Deo reparare quod fuit, quam creasse quod non fuit. Aut quid mirum si hominem ex pulvere reficit, qui simul omnia ex nihilo creavit?* Sane ipsa Hebræorum vestimenta in itinere per desertum annorum quadraginta sarta tecta conservavit, Deuteron. XXIX. *Ut Dominum potentiores credamus,* inquit Tertullianus, libro de resurrectione, capite LVIII. *omni corporum lege et carnis magis utique conservatorem, cujus etiam vestimenta et calceamenta protegit.*

II. Ostenditur ex cooperatione corporis cum anima. Justum utique est, ut qui sæculo laboravit, mercedem suam; qui strenue pugnavit, coronam suam accipiat: *Dignus est enim operarius mercede sua,* ait Dominus, Luc. X. Quoniam vero corpus particeps laborum, pugne et tribulationis fuit, decet proinde ut sit particeps mercedis et coronæ. Nihil fere hic anima nisi in carne et per carnem operatur: *Non possunt ergo separari in mercede (caro et anima) quas opera conjungunt,* inquit Tertullianus, libro de resurrectione carnis. Unde et istud sequitur, non aliud sed idem prorsus corpus esse resurrecturum; ut ita coronetur illud ipsum, quod cum anima laboravit, sanguinem fudit, sudavit et alsit: sicut idem Lazarus,

Joan. XI. revixit, tametsi putredini proximus, qui ante vixit. Eadem lingua epulonis erat, quæ sitiabat in gehenna, cum ea quæ epulabatur in vita, Luc. XVI.

III. Ostenditur ex resurrectione Christi, quo argumento utitur etiam apostolus, I. Cor. XV. *Si Christus, inquit, predicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quædam dicunt in nobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Ergo non solum fieri potest, sed etiam revera fiet resurrectio mortuorum: fieri potest, quia alioquin non resurrexisset Christus: fiet autem, quia alioquin Christus frustra resurrexisset: sanius enim et facilius mortem præcavisset: ergo ipsius resurrectio potius propter nos quam propter ipsum facta est, adeoque exemplar et causa fuit nostræ resurrectionis. Fuit Christus caput nostrum, quo surgente, utique et membra surgent: fuit secundus Adam, quo surgente utique surgent et filii ejus.

IV. Declaratur exemplis naturabilibus. Primo, ab apostolo, I. Corinth. XV. *Dicit aliquis, inquit: Quomodo resurgunt mortui, qualive corpore venient? Insuper, quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur.* Nimirum aliqui cogitantes corpora putrefieri et in cinerem redigi desperabant et negabant corporum resurrectionem, quos Paulus exemplo seminis in agrum facti et putrefacti convincit. Id enim ubi mortuum est in terra reviviscit, et ex grano uno multa producit adeoque multo cum fœnore quodammodo resurgit, dum non solum granum unum sed plura, et spicam et culmum gignit: similiter in autumno moriuntur quodammodo frondes et flores omnes; sed in vere revirescunt et reviviscunt: unde Isa. LXVI. dicitur: *Ossa vestra sicut herba germinabunt:* et S. Ambrosius, libro de fide resurrectionis, ossa hominum et reviviscunt in sepulcris jacentia vocat semina æternitatis, quod ea post carnem supersint sicut semina post pomum, ex quibus homo velut nova arbor suscitabitur a Deo. Adducunt etiam non pauci patres, Ambrosius variis in locis, Tertullianus, lib. de resurr. Lactantius, in carn. de phœnice et alii nonnulli, exemplum phœnicis, qui com-

posito sibi rogo exuri fertur in cinerem, et quo nascatur vermis, qui paulatim adolescat et tandem plumis vestiatur, et transeat in phœnicem. Quod si verum est (multi enim dubitant) habemus sane typum aliquem resurrectionis nostræ, cui consonat id, quod Job XXIX. dicitur: *In nidulo meo moriar et sicut palma;* Tertullianus, libro de resurrectione, cap. XIII. Vatablus, Rabbi, Salomon et alii vertunt: *Et sicut phœnix, multiplicabo dies:* unde Romæ in plurimorum martyrum sarcophagis phœnix incisus visitur, et incidi jussus est in sarcophago S. Maximi martyris a S. Cæcilia, ut habent ejus acta.

V. Confirmatur ex miraculis; nam aliorum sanctorum ossa post annos plurimos integra et illæsa conservata sunt: aliorum ossa oleum vel oleo similem liquorem stillabant: aliorum membra scissa redintegrata sunt, ut S. Stanislai episcopi et martyris: alii post dies multos e sepulcro ad vitam resuscitati, veluti S. Maternus, S. Petri discipulus, qui ab eo missus cum S. Eucharico et Valerio Treverim ad evangelizandum, in ipso itinere Helli apud Selestadium febrim valida correptus defunctus est; socii ad S. Petrum regressi ab eo baculum acceperunt, quem S. Materno quadragesimo die a morte applicantes eum resuscitarunt, qui postea totidem annis supervixit quot diebus in sepulcro fuit, fuitque apostolus Treverensium et Coloniensium, ut in ejus vita: et scribit Otho Frisigens, lib. III. chron. cap. XV. Ad ejusdem resurrectionis confirmationem contigit, quod S. Gregor. Turon. de gloria confessor. cap. L. narrat de Deverino presbytero, qui cum sua execratione mespilum arborem subito arefecisset, postea facti pœnitens, eandem precibus suis revivescere fecit. Nec minus mirum illud, quod de S. Stanislao legimus, cujus corpus cum ab impiis membratim concisum et per agros dispersum esset, postea a clericis collecta membra apte composita, mox ita coaluerunt in corpus integrum, ut nulla vulnere vel sectionum vestigia extarent, ut in ejus vita.